



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

Parisiis, 1644

Sirmiense Concilivm Oecvmenicvm, Et ex parte reprobatum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15256

^a SIRMIVM ^b CONCILIVM
^c OECVMENICVM,

Et ex parte ^d reprobatum.

Huius præter duas fidei formulas nihil extat.

NOTÆ.

Locus Con-
cilii.
Sirmium
vrbs quæ &
qualis.

^a *Sirmiese.*] Sirmium locus huius celebrati Concilii est vrbs Pannoniæ inferioris, Probi imperatoris natalibus inclyta: ab Euarrio Sermium vocatur; a Iornande Sirmis dicitur. Onuphrius ex antiquo lapide Coloniam facit: puto hodie Sirmisch vocari. Vide apud Abrahamum Ortelium.

Tempus
Concilii.

^b *Concilium.*] Anno Christi 357. qui est 6. Liberii, & 21. Constantii, hanc Synodum Sirmii celebratam esse, Socratis lib. 2. cap. 24. Sozomeni lib. 4. cap. 5. testimonio & auctoritate probatur. Scribunt enim hanc Synodum habitam fuisse eo tempore, quo Osius Cordubensis episcopus ad subscribendum Athanasii condemnationi, & Sirmiensi professioni fidei, coactus fuit. Cum igitur testimonio Athanasii epist. ad solit. post relegatum anno Christi 355. Liberium, in fine eiusdem anni ad subscribendum accersitus, integro anno Sirmii pro exilio detentus fuerit, necesse est affirmare, hoc Concilium, cuius impiæ professioni per vim & metum subscripsit, prædicto tempore celebratum fuisse. Secundo, assertionem S. Hilarii de Synodis in principio constat, Synodum Sirmiensem celebratam esse post triennium, ex quo Saturnino episcopo Arelatensi Ariano a catholicis Galliarum episcopis communio negata est: quod cum factum fuisse constet ante triennium, quando Constantius expugnato Magnentio Arelate moraretur, concedere oportet hanc Synodum prædicto anno 357. collectam fuisse. Denique ipse Sozomenus lib. 4. cap. 5. attestatur, hoc Concilium habitum fuisse Sirmii, præsentis Constantio imperatore. Cum igitur, auctore Ammiano, constet eum hoc tempore Sirmii consedisse, plane dicendum est, anno suprascripto hanc Synodum congregatam fuisse.

Causa Con-
cilii.

Ariani Pho-
tinum dam-
narunt.

Photiniana
hæresis ab
Ariana nihil
aut parum
differt.

Causa Concilii conuocati hæc est. Cum Photinus, teste Epiphano hæresi 71. Sardicensi Concilio damnatus, pro more hæreticorum ad imperatorem appellasset, iterumque audiri postulasset; vt Ariani catholicum nomen affectantes, se pios catholicos, & hæreticis aduersarios ostentarent, Photinum in iudicium vocant, eiusque de filio Dei sententiam in Concilio auctoritate imperatoris indicto discutiant. Et quamuis reuera Ariani a Photinianis parum aut nihil differrent, cum, quod recte Lucifer Constantio exprobrando obiicit, Ariani filium Dei creaturam asserentes, cum Photino diuinitatem illi ademerint: vt tamen specie tenus, quod scribit Gregorius Nazianzenus in laude Athanasii, se catholicos exhiberent,

ANNO
CHRISTI
357.

Photinum per simulationem & veteratorie dumtaxat condemnarunt, editaque aduersus eum fidei quadam formula, a Marco Arethufio Græce composita, Photini hæresum condemnarunt. Huic primæ formulæ viginti septem anathematismos contra Photinianos & Arianos inferuerunt, in hac Filium cum Patre eiusdem substantiæ esse confessi fuerunt, vt catholici viderentur. hanc catholicæ veritati consentientem, ideoque ab Hilario explicatam fuisse, ipse Hilarius aperte testatur: quæ si nomine consubstantialitatis non caruisset, nullo modo culpam potuisset. Liberius Romanus pontifex, Athanasio, Hilario & Hier. testantibus, per vim & minas sollicitatus, huic primæ fidei formulæ subscripsit, Athanasium condemnauit, & cum Arianis communicauit; idque per literas ad Valentem aliosve scriptas significans, ab exilio liberari, sedique suæ restitui petiit.

Itaque contra fidei confessionem ac iustitiæ legem peccans, adeoque turpissimam sibi morum & vitæ maculam inurens, Arianorum communionem pollutus, quamquam infidelis & hæreticus non esset, a communionem catholicorum, & sede pontificia excidit. Postquam hæc veteratorie per summam simulationem egissent, Semarianis illis, quibus ad prosternendum hæresiarcham pugnacem vsi fuerant, procul eiectis, qualesnam essent, larua deposita, palam prodidere. Nam vt Dei filius non Deus ex Deo, sed creatura ex nihilo, vel saltem ex creatura genitus esse credatur, secundam fidei formulam ac confessionem Latino sermone conscriptam, a Marco Arethufio episcopo Græce translata ediderunt, qua nomen substantiæ prorsus abdicarunt; decernentes, ne voces *substantiæ* & *ὁμοῦσιον*, quarum nulla mentio fit in scriptura, in sermonibus vsurparentur. Vtque impietati a se conscriptæ auctoritatem adderent, Athanasio, Socrate & Sozomeno testantibus, Osium Cordubensem episcopum, Sirmii, loco exilii ab imperatore detentum, multarum Synodorum auctorem & principem, multis legationibus & publicis actionibus functum, non ad scribendum, quod vitiose & corrupte præ se fert titulus huius formulæ apud Hilarium, sed potius ad subscribendum sollicitarunt: qui dum aliquamdiu id facere recusasset, vir imbecillis, prope centenarius senio contractus, tandem per vim, tormenta, & plagas inductus (pro scelus) ignominiose subscripsit, luctuque & horrore immenso fidelibus incusso, turpius, quam ante Origenes & Tertullianus, lapsus fuit, meritoque illa pœna, quam Isidorum Hispalensem ipsi affinxisse in notis Concil. Eliber. verbo *Osus* supra diximus, puniendus, nisi paulo post de vi & iniuria sibi illata protestatus, Arianorum hæresi condemnata, eorumque communionem fidelibus interdicta, pœnitentiam egisset, atque ita Dei vindicis iram anteuertisset. *Tantam*, inquit Athanasius ad solitar. *vim intulit seni, quem Sirmij pro exilio detinebat, & ita cum arte tenuit, vt afflictus attritusque malis, tandem egregue cum Ursacio & Valente communicaret, sed tamen vt contra Athanasium non subscriberet. verum ne ita quidem eam rem proleui hæ-*

Concil. Tom. 3.

Z ij

Primam
formulam
fidei eide-
runt catho-
licam.Primæ for-
mulæ Libe-
rius sub-
scripsit
quomodo.Liberius nō
fuit infectus
hæresi.Ariani si-
mulate
Photinum
condemna-
runt.Secunda fi-
dei formula
edita pri-
mæ plane
contraria.Secunde
formule
Osium per
vim & tor-
menta indu-
ctus subscri-
psit.Osium a
lapsu resi-
puit.

buit, moriturus enim, post biennium circiter aut annum, quasi in testamento suo eorum vim protestatus est, & Arianam haresin condemnauit, vetuitque eam a quocumque probari ac recipi. Item de Ofio apol. 2. in fine ait: *Vis illa & Constantii tyranni potestas, multa que contumelia & interminationes satis ostendunt, minime eum in nostri condemnationem consensisse, sed senii imbecillitate imparum verberibus ad tempus cessisse.* Post hæc contigit, quod fere miraculosum est, vt dum Ofius fidem negaret, hostes fidei Semiariani eandem confiterentur: dumque ille impiam Arianorum confessionem approbando, diuinam substantiam in filio Dei ablegaret, Semiariani Ancyrae in Galatia conuenientes eandem restituerent, atque per edictum publicum imperatoris Constantii, prædicari, recipi & approbari efficerent. Cum enim suas, quas Ancyrae constituerant, duodecim fidei regulas Sirmianæ secundæ confessioni plane contrarias constituisent, easque per legatos ad imperatorem transmisissent, imperator publico edicto promulgato, secundam Sirmianam confessionem tanquam blasphemam abdicauit, nouamque, qua filius Dei per omnia similis esse prædicaretur, edi ac subscribi mandauit. Cumque ad Concilium Ariminense profecturi, Sirmium, vbi imperator agebat, orientales omnes aduenissent, tertiam illam Sirmianam fidei formulam, anno 359. vt infra dicemus, composuerunt. *Cui cum Valens, inquit Epiph. hæresi 73. subscripsisset, & in subscriptione apposuisset, filium similem Patri, & non apposuisset per omnia, & ostendisset quomodo assensus esset præmissis, aut similitudine vocis intellexisset, annotauit hunc pius rex, & coegit ipsum addere, Per omnia.* Hæc ex Epiph. Hilario, Athanasio, Socrate, &c. Baron. an. 357.

Semiarianorum confessio qualis.

Tertia Sirmiana fidei confessio.

Constantius per edictum tertiam approbat, secundam fidei confessionem improbat.

An Sirmianæ Concilii sit œcumenicum. An ex parte vel omnino reprobatur.

œcumenicum & ex parte reprobatur.] Bellarm. lib. 1. de Conciliis cap. 7. œcumenicum fuisse ait, cui præter orientales trecenti & amplius ex occidente episcopi interfuerunt. Ex parte reprobatum esse scribit, quia sententiam condemnatoriam in Photinum hic pronuntiatam omnes orthodoxi approbarunt. Posset idem confirmari per hoc, quod primam Sirmianam fidei confessionem, utpote quæ nullam manifestam hæresim contineat, velut catholicam Hilarius interpretatus fuerit. Ego tamen Baronium secutus, Conciliabulum potius, quam vlla ex parte probatum Concilium fuisse, verius esse putarem; tum quod manifestum sit, in prima formula fidei, quæ catholica esse indicatur, nomen *consubstantialis* ad fidem Nicænam explodendam omisum esse, eamque veteratorie & per summam simulationem editam fuisse: tum etiam, quod Liberii communionem catholici euitarint, ideo maxime, quod fidei confessioni primæ, quæ videbatur catholica, subscribens, Arianorum communionem pollutus, ab vnitatem ecclesiæ catholicæ merito exciderit.

ANNO
CHRISTI
357.

ANNO
CHRISTI
357.

ANNO CHRISTI 357.
PRIMA SIRMIENSIS FIDEI CONFESSIO
aut formula Semiarianorum,

*A Marco Arethuso episcopo Græce conscripta, a Liberio
subscripta hæc est.*

CREDIMVS in vnum Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem & factorem omnium, ex quo omnis paternitas in cælo & in terra nominatur. Et in vnigenitum eius Filium, Dominum nostrum Iesum Christum, ante omnia sæcula ex Patre genitum, ex Deo, lumen de lumine, per quem omnia in cælis & in terra facta sunt, tam inuisibilia quam visibilia: eundemque verbum esse, & sapientiam, lucem veram, & vitam, & vltimis diebus hominem factum, natumque ex sancta Virgine, crucifixum, & mortuum, & sepultum esse, & resurrexisse e mortuis tertio die, & assumptum in cælos esse, sedereque ad dexteram Patris, venturumque in consummatione sæculi, vt iudicet viuos & mortuos, reddatque vnicuique secundum opera sua, cuius regnum indefinens permanebit in infinitas ætates. Sedet enim ad dexteram Patris non solum in hoc sæculo, sed in futuro. Et in Spiritum sanctum, hoc est, Paraclitum, quem promissum apostolis, post ascensum in cælos misit, vt doceret eos & commonefaceret omnium, per quem omnes animæ, quæ in eum sinceriter credunt, sanctificantur. Eos porro qui dicunt, ex non ente, aut ex alio subsistente, & non ex Deo Filium extitisse, aut quod tempus aut ætas fuit, quando ille non erat, alienos a se censet sancta & catholica ecclesia. Iterum ergo dicimus, Si quis Patrem & Filium duos deos opinetur, anathema esto. Item si quis dicens Deum Christum esse, sed eum ante sæcula Filium Dei & ministrum Patri ad vniuersitatis creationem non fuisse confiteatur, anathema esto. Si quis eum qui ingenitus est, aut patrem eius ex Maria natum ausit dicere, anathema esto. Si quis Filium ante Mariam, sed secundum præcognitionem fuisse dicat, ac non potius ante sæcula ex Deo genitum apud Deum fuisse, & per eum omnia facta esse, anathema esto. Si quis substantiam Dei dilatari aut contrahi loquatur, anathema esto. Si quis dilataram essentiam, Filium

Extat apud
Atha.l. de
Synod. Hilar.
lib. de
Synod. vide
Baro.n.9.

efficere dicat, aut dilatationem substantiæ Dei Filium nomet, anathema esto. Si quis merum hominem ex Maria natum esse dicat, anathema esto. Si quis hæc verba, *Ego sum Deus primus, Ego quoque postea, & præter me non est Deus*, quæ ad subuersionem idolorum dicta sunt, ad subuersionem vnigeniti ante sæcula Dei iudaice accipiat, anathema esto. Si quis hoc dictum, *Verbum caro factum est*, audiens, Verbum in carnem mutatum esse opinetur, aut postquam conuersionem passum esset, carnem assumpsisse dicat, anathema esto. Si quis vnigenitum Filium Dei crucifixum audiens, eius deitatem, corruptionem, passionem, mutationem, diminutionem, aut extinctionem sustinuisse dicat, anathema esto. Si quis hoc dictum, *Faciamus hominem*, non Patrem ad Filium, sed Deum secum loqui affirmet, anathema esto. Si quis Abraham non Filium, sed ingenitum Deum aut Patrem eius vidisse asseueret, anathema esto. Si quis cum Iacob non Filium colluctatum fuisse dicat, sed ingenitum Deum aut patrem eius, anathema esto. Si quis hoc dictum, *Pluit Dominus ignem a Domino*, non de Patre & Filio accipiat, sed ipsum a seipso pluuisse dicat, anathema esto. Pluit enim Filius Dominus a Domino Patre. Si quis audiens Dominum Patrem, Dominum item Filium, eo quod Dominus ex Domino sit, duo numina existimet, anathema esto. Non autem eiusdem ordinis Patrem & Filium, sed Filium Patri subiectum arbitramur. Neque enim ille Sodomam sine consilio Patris descendit, neque a se pluit, cum penes Patrem auctoritas sit, neque ex se habeat quod sedet ad dexteram Patris, sed auscultet Patri ita loquenti, *Sede a dextris meis*, anathema esto. Si quis Patrem & Filium & Spiritum sanctum, vnam personam esse dicat, anathema esto. Si quis Spiritum sanctum paraclitum nominans, ingenitum dicat Deum, anathema esto. Si quis, vt docuit Dominus alium adhuc nomet paraclitum præter Filium (dixit enim, *Et alium paraclitum mittet vobis, quem ego rogabo*) anathema esto. Si quis Spiritum sanctum partem aliquam dicat Patris aut Filii, anathema esto. Si quis Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum tres deos appellet, anathema esto. Si quis voluntate Dei Filium Dei ita extitisse dicat, vt aliquid quod conditum est, anathema

ANNO
CHRISTI
357.

esto. Si quis nolente Patre Filium genitum esse dicat, (non enim Pater coactus naturali necessitate Filium, quem noluit, genuit; sed statim ubi voluit, sine tempore & passione eum ex se genitum edidit) anathema esto. Si quis ingentum, & sine origine Filium nominat eo animo, ut duo ingenta & inoriginata, & duos deos statuere velit, anathema esto. Caput enim & principium omnium Filius est. Caput vero & principium Christi Deus: ita enim ad vnum principium vniuersitatis nullo initio inchoatum, per Filium pie omnia reducimus. Iterumque exacte tradentes Christianismi sensum dicimus, si quis Christum Deum Filium Dei ante saecula, administrumque ad vniuersitatis opificium fuisse neget, sed ex quo tempore e Maria genitus est, Christum & Filium appellatum fuisse, & principium suae deitatis tum accepisse dicat, anathema esto.

SECUNDA SIRMIANA FIDEI CONFESSIO
& formula Arianorum,

Ab Ofio coacte subscripta, hæc est.

QVONIAM de fide placuerat disceptationem fieri, omnia cum sedulitate inquisita & examinata fuere Sirmii in praesentia Valentis, Vrsacii, Germinii, ceterorumque omnium. Constitit ergo vnum esse Deum omnipotentem, sicuti in vniuerso orbe praedicatur, & vnum eius vnigenitum Filium, Dominum nostrum Iesum Christum, ex eo ante saecula genitum, duos tamen Deos non oportere dici, cum ipse Dominus de se locutus sit: *Vado ad Patrem meum, & Patrem vestrum, Deum meum & Deum vestrum.* ideoque omnium Deus habendus est, quem admodum Apostolus dixit: *An Iudæorum tantummodo sit Deus, & non etiam gentium? certe & gentium, quoniam vnus est Deus, qui iustificabit circumcisionem ex fide, & præputium per fidem:* & reliqua omnia consentiunt, & nullam prorsus habent ambiguitatem. Ceterum quia multos commouet vox, Latine quidem dicta substantia, Græce autem οὐσία, hoc est, ut diligentius cognoscatur, illud quod ὁμοούσιον aut ὁμοιοῦσιον dicitur, nullam earum vocum mentionem debere fieri, neque de iis sermocinandum in ecclesia cense-

Extat apud
Hilar. lib. de
Synod. vide
Baron. an.
357. n. 20.

mus, quod de iis nihil sit scriptum in sacris literis, & quod illa hominum intellectum & mentem transcendant, & quod nemo possit generationem Filii enarrare, quemadmodum scriptum est: *Generationem eius quis enarrabit?* Solum enim Patrem scire quomodo Filium suum genuerit, certum est. Nulli vero ambiguum, Patrem maiorem esse: neque est quod quisquam dubitet, Patrem honore, dignitate, deitate, atque adeo ipso nomine paterno maiorem esse, attestante praesertim ipso Filio: *Qui misit me Pater, maior me est*: & hoc ipsum catholicum est, & nemo ignorat duas esse personas Patris & Filii, ac proinde Patrem maiorem; Filium vero Patri cum omnibus, quae illi Pater subiecit, subiectum esse, Patremque initium non habere, & inuisibilem, & immortalem, & liberum a passionibus esse: Filium vero ex Patre genitum esse, Deum ex Deo, lumen de lumine, eiusque generationem, quemadmodum superius dictum est, neminem scire nisi solum Patrem; ipsumque Filium Dominum nostrum & Deum, carnem siue corpus, hoc est, hominem e Maria virgine assumpsisse. Quemadmodum angelus praenuntiauerat, & omnes scripturae docent, & in primis ipse gentium Apostolus, hominem assumpsit Christus ex Maria Virgine, per quem passus est. Summa autem totius fidei, & firmamentum est, ut Trinitas semper retineatur, quemadmodum legimus in euangelio: *Abite & baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. Numerus autem Trinitatis integer & perfectus est. Paracletus porro, nimirum sanctus, per Filium missus secundum euangelium venit, ut apostolos & omnes credentes erudiret & sanctificaret.

Act. 8.

Ioan. 14.

Matth. 18.

TERTIA SIRMIANA FIDEI CONFESSIO
anno 359. Sirmii coram Constantio edita,

Arimini a Valente recitata, Eusebio & Hypatio consulibus.

Exstat apud
Athan. lib.
de Synod.
Socra. l. 1. c.
29. Baton.
an. 359. n. 9.

CREDIMVS in vnum solum & verum Deum Patrem omnipotentem, conditorem opificemque omnium: & in vnigenitum Filium Dei, ante omnia saecula & initia, & ante omne tempus, quod in intellectum cadere potest, existentem, & ante omnem comprehensibilem substantiam

ANNO
CHRISTI
357.

ANNO
CHRISTI
357.

ANNO
CHRISTI
357.

tiam, natum impassibiliter ex Deo, solum ex solo Patre, Deum de Deo, similem Patri suo, qui ipsum genuit: *cuius* (secundum scripturas) *generationem nemo nouit, nisi solus qui eum genuit Pater*. Hunc scimus vnigenitum Dei Filium nutu paterno aduenisse de caelis ad demolienda peccata, genitum ex Maria Virgine, versatumque cum discipulis fuisse, & vbi omne officium dispensationis adimpleuisset, secundum Patris voluntatem, crucifixum & mortuum esse, & ad inferos descendisse, atque ibi, quod sui officii erat, peregisse: quem ianitores inferorum conspicati exhorruerunt: Eumque tertio die ab inferis resurrexisse, & versatum cum discipulis fuisse: eumque vbi negotia sua absoluerat, impletis quinquaginta diebus, in caelos assumptum esse, & sedere ad dexteram Patris; & vltimis diebus resurrectionis venturum in gloria paterna, vt tribuat vnicuique secundum opera sua. Et in sanctum Spiritum, quem vnigenitus promisit se missurum humano generi paraclerum, quemadmodum scriptum est: *Vado ad Patrem meum, eumque rogabo, & alium* Ioan. 14. *paraclerum mittet vobis Spiritum veritatis: ille de meo accipiet, & docebit vos, omniumque admonebit*. Vocabulum porro substantiae, quia simplicius a patribus positum est, & a populis ignoratur, & scandalum affert, eo quod in scripturis non contineatur, placuit, vt de medio tolleretur, & nullam posthac de Dei substantia mentionem esse faciendam, eo quod sacrae scripturae nunquam meminere substantiae Patris & Filii: Filium autem Patri per omnia similem dicimus, quemadmodum sacrae literae dicunt & docent.

NOTA.

Hac formula fidei composita est Sirmii in praesentia Constantii anno 359. Eusebio & Hypatio consulibus. Athan. lib. de Synod. Socrat. lib. 2. cap. 29. Quia Constantius Ariminensi Concilio non interfuit, mendosum est, (quod habet inscriptio apud vtrumque) eam Arimini in praesentia imperatoris editam fuisse. Composita est ea transactionis lege, vt Semiariani relinquerent, quod Ancyrae addiderant, nomen *substantiae*: Ariani vero admitterent, vt Filius diceretur Patri per omnia similis; licet Valens id non nisi iussu a Constantio profiteri voluerit. Quamquam haec fidei formula, (sicut & illae, quae Antiochia in encaniis, & in Sardicensi & Sirmiensi Concilio primo loco edita est) nullam manifestam haeresim contineret; cum

Concil. Tom. 3.

A a

Tertia Sirmianae fidei confessio quando, cur & vbi edita.

Inscriptio apud Ath. & Socratem mendosa est.

An fuerit
catholica.

tamen in his consubstantialitas Filii cum Patre dolose non exprimitur, Athanasius eas ut hæreticas merito abdicauit, ideo saltem, quod abdicatione vocis *substantia*, iam ad Arianam blasphemiam aditus apertus esse videretur. Ex Epiphani. Hieron. & Athan. Baron. ann. 357. num. 24. 25. & 26. & ann. 359. num. 10.

ANNO
CHRISTI
317.

^a ANCYRANVM ^b CONCILIVM ^c SEMIARIANORVM.

Ancyra
quæ.

^a *Ancyranum.*] Ancyra est vrbs in Galatia, sic dicta, auctore Plinio lib. 5. cap. vlt. ab ancoris nauium a Mithridate captarum, quas Ptolemæus rex Ægypti Galatis seu Gallogræcis suppetias miserat. Huius meminit Ptolem. l. 5. c. 4.

ANNO
CHRISTI
338.

Causa &
acta Con-
cili.

^b *Concilium.*] Orientales episcopi secundam illam ac perfidam Sirmianam confessionem fidei detestati, Sirmio recedentes in Asiam migrarunt, atque Ancyra in Galatia an. Dom. 338. conuenerunt, ibique ablegatum a Filio Dei *substantia* nomen restituentes, impia statuta secundæ confessionis ac formulæ plane condemnarunt, Filiumque Dei secundum substantiam Patri per omnia similem esse asseruerunt. Vnde, ut fidem suam profiterentur, duodecim regulas ac definitiones fidei secundæ Sirmiensi plane contrarias, quas recenset Hilarius lib. de Synodis, expresserunt, easque per legatos ad Constantium imperatorem Sirmii morantem miserunt. Quas cum ille accepisset, orientales vero omnes ad Ariminense Concilium profecturi, opportune Sirmii, ubi imperator agebat, reuertissent, post secundam Sirmiensem confessionem publico edicto reprobata, iussu imperatoris ibid. 11. Kalend. Iunias nocte illucescentis sacri diei Pentecostes, tertiam Sirmiensem fidei formulam, supra ex Athanasio recensitam, composuerunt; eamque sua subscriptione munitam, atque Ariminum apportatam, ibidem in Concilio Ariminensi recitarunt. Ita latro cruci adiudicatus Christum confitetur, quem Petrus in periculo constitutus abnegauit. Vide Baron. ann. 337.

Dum Osius
fidem ne-
gat, Semi-
riani eamde
confituntur.
Semiariani
qui & cur
sic dicti.

^c *Semiarianorum.*] Semiariani dicebantur, qui Arii nomen detestati, diuinam in Filio Dei substantiam utcumque specie tenus confitebantur: quia tamen vocem *consubstantialitatis* non recipiebant, Nicænumque symbolum explodebant, Semiariani nominabantur. Horum erat illa fidei professio, quæ Antiochiæ in encænii, Sardicæ & Sirmii primo & tertio loco edita fuit, quæque hic Ancyrae declarata fuit. Principes Semiarianorum erant Basilus Ancyranus, Eleusius Cyzicenus, Siluanus Tarsensis, Georgius Laodicenus, Macedonius Constantinopolitanus, Eustathius Sebastenus, paucique illi, qui apud Epiphani. hæresi 73. Concilio Ancyrano subscripti reperiuntur. Hi Concilio Seleuciensi ab Arianis damnati, sedibus suis deturbati fuerunt, ac paulo post auctore Ma-

Post Seleu-
ciense Con-
cilium sunt
Pneumatoma-
chi.

Ariani qui.